

solum et fructu, sed mancipio etiam ac nexus tua esse libentissime agnoscam? Et vero si recte ratiocinamur, cui potius Britannorum, Saxonum, Normannorum res gestas offerre debui, quam Majestati Tuæ, quæ non modo quas singuli singulas ditiones obtinuerunt, has una universas hæreditario jure adiisti, verum etiam omnes istorum omnium virtutes animo plane heroico es complexa? quæ sola tot annos in communibus Europæ totius tempestatis dulcissimæ patriæ tuæ beatissimam tranquillitatem infusisti: quæ denique sola, quid in summa potestate summa bonitas possit, tuo nos exemplo docuisti. Sed alterius sunt hæc operis, alterius temporis. Interim vero serenissimam majestatem tuam supplicissime rogaram volo, ut quem hactenus beneficiis tuis quam amplissimis ornatum esse voluisti, eum deinceps regia tua et benignitate complecti, et auctoritate tueri digneris. Deus optimus maximus Majestatem Tuam nobis reique publicæ Christiauæ quam diutissime incoludem conservet.

Serenissimæ Majestatis Tuæ devotissimus

HENRICUS SAVILE.

WILLELMI MALMESBURIENSIS MONACHI GESTA REGUM ANGLORUM

ATQUE

HISTORIA NOVELLA.

Ad fidem codicium mss. recensuit

THOMAS DUFFUS HARDY.

(Londini, sumptibus Societatis, 1840, in-8°, 2 vol.)

PRÆFATIO.

Quod de Willelmi Malmesburiensis monachi vita compertum habemus, quibus parentibus ortus (7), non aliunde notum nisi ab ipso passim allatis. Patrem genere Normannum et matrem Saxoniam inuere videtur lib. *i Gestorum regum*, inquiens: « Quia utriusque gentis sanguinem traho; » et circa libri *ii* finem: « Nec hac dicens virtuti Normannorum derogo, quibus tum pro genere, tum pro beneficio fidem habeo. » De anno quo natus sit nihil constat (8).

Malmesburiensis majorem suæ vitæ partem exigisse videtur inter claustra monasterii de quo illi nomen; omne tempus quod in religiosis monasticisque officiis non expendebatur, litteris scientiæque devovens.

(7) Lelandus, Cavus, Tannerus, Warthon et alii asserunt ejus familiae nomen fuisse *Somerset*, sed eorum sententia nulla stat firma auctoritate.

(8) In *Commentario in Jeremiā* Malmesburiensis notat se « multo ante, in diebus juventutis suæ, in scribenda historia quasi ludendo versatum fuisse, scque tunc temporis quadragesimum ætatis annum attigisse. » Alias quædam narrat quæ in diebus Henrici regis evenerant; unde deduci potest Henricum jam et vita sublatum. Nunc, posito quod verba *multo ante* decem annorum lapsum inuuant, cum ejus regum et pontificum Historiæ in anno 1125 absolutæ fuerint, quæ hic referuntur juxta annum 1135 scripta esse oportet, tempore quo Henricus e vivis est sublatus, unde Willelmum circa annum 1095 aut 1093 natum statuendum esset. Sic ratiocinatur Sharpius; sed nulla hic àdest satis firma ratio Malmesburiensis ortum, sive ad unum sive ad alterum ex his annis referendi. Hypothesis quod Henricus rex nuper admodum defunctus esset, ex qua fluit supradicta deductio, vix allatis testimoniorum constare videtur. Hoc tamen clare patet, nempe, auctorem Historiæ in quam præstantissimi præsentis ætatis critici maxima eruditio- nis et judicij encomia profuderunt, vix annis viginti quinque natu inajorem præcipuum operis sui partem absolvisse.

principia tamen regni monasteria adiit colligendorum librorum gratia (9). Exilmum ingenii ejus acumen et doctrinæ excellentiam testantur non minus quam viginti diversorum operum tituli, quæ omnia ante quinquagesimum ætatis annum composuit (10). Fama ejus late diffusa, crebro et non ab unius conobii monachis rogatus, patroni eorum historiam vel monasterii fundationis scribendi partes assumpsit. Inter Malmesburienses tamen nullus ejus memoriam satis magna veneratione prosecutus est, ut aliquod vite tanti viri scriptum monumentum relinqueret (11). Ejus mortis ut et natalis incertum tempus; sed ex eo quod ejus ultimum opus in ipsis ejus ætatis maximi gravissimique momenti temporibus, videlicet anni 1142 eventibus abrupte desinat, satis generaliter illum hoc anno aut sequenti interisse supponitur.

In paucis istis continetur quidquid de vita notum est viri, qui judicij maturitate et sua tutâ rerum notitia omnes antiquos Anglieæ historie scriptores facile præcelluit.

Duo præcipua et longe majoris momenti Willelmi Malmesburiensis opera. — *Gesta regum Anglorum* et *Historia novella*, in his voluminibus prelo mandantur. Prius quinque complectitur libros, posterius tribus insumitur.

Liber primus *Gestorum regum Anglorum* Magnæ Britanniæ historiam succincte tangit ex quo eam obtinuere Romani usque ad eorum expulsionem; inde prosequitur synchronicam regnorum Saxoniorum principum historiam, a primo hujus gentis in Angliam adventu, usque ad Ecgberti tempus, qui diversa regna animi magnitudine compescuit, et ea, uni conquadrauit imperio, ad uniforme dominium vocavit.

In secundo libro exarata est Occidentalium Saxonum regni historia secundum Anglo-Saxonum atque Anglo-Danorum principum seriem, usque ad Haroldi mortem, Normannorumque adventum.

Liber tertius Willelmi primi regno totus insumitur.

Liber quartus et liber quintus historiam ad annum 1120 deducunt. In quarto etiam magni momenti occurrit relatio primæ Christianorum contra Saracenos expeditionis, cum vivida ducum cruce signatoriarum adumbratione.

Quo vero ætatis suæ anno *Gesta regum Anglorum* vel incepit vel absolverit Malmesburiensis, certo definiri non potest. Non sine aliqua verisimilitudine hanc narrationem inter annum 1114 et 1123 exaratum fuisse conjectur, illamque ab ipso variis in posterum temporibus ad incudem revocatam, pluribus magni momenti additionibus auctam, stylum modumque dicendi nonnunquam mutatum; interdum, deletis quæ prius admiserat, alia substituit (12) illos enixe rogans qui ampliora noverint quam ipse habuit ut ea cum ipso communicare velint in margine saltē sui operis addenda.

Historiam Novellam ultimum esse Willelmi Malmesburiensis setum supponitur. Hujus operis initio retrospective occurrit ultimæ partis regni Willelmi I compendiose exarata expositiæ historiæ ad annum 1142, quo liber desinit, protenditur. Evidenter patet hoc opus post regis Willelmi I obitum incepit et ad annum 1142 deductum. Quamvis integra sit ejus pars quæ absoluta est, imperfecta tamen relicta fuit: brevi relatione fugæ imperatricis Maldæ ab Oxonio, narratio concluditur; quæ tamen auctor in

(9) Malmesburiensis alibi asserit se libris non paucis monasterii sui bibliothecam ditasse; deque aliis loquitur quos Cantuariæ, Bury St. Edmunds, etc., viderat (GALE, III, pp. 298, 376).

(10) En Malmesburiensis operum catalogus; aliasque illi plures Tannerus ascribit. — 1° *Gesta regum Anglorum*. — 2° *Historia novella*. — 3° *Gesta pontificum*. — 4° *Passio sancti Indracti martyris*. — 5° *De Vita sancti Aldeleti*. — 6° *De Vita sancti Dunstani archiepiscopi*. — 7° *Vita sancti Patricii*. — 8° *Miracula sancti Benigni*. — 9° *De Antiquitate Glastoniensis Ecclesiæ*. — 10° *Vita sancti Wulstani episcopi Wigorniensis*. — 11° *Chronica*. — 12° *Miracula sancta Elsgisæ*. — 13° *Itinerarium Joannis abbatis Meldunensis versus Romam*. — 14° *Expositio Threnorum Hieremias*. — 15° *De Miraculis Mariae Virginis*. — 16° *De serie Evangelistarum, nullo non genere carminis*. — 17° *De Miraculis beati Andreæ*. — 18° *Abbreviatio Amalarii de ecclesiasticis officiis*. — 19° *Epitome historie Haimonis Floriacensis monachi a Justiniano ad Carolum Magnum*. — 20° *De dictis philosophorum*.

(11) Leland, qui cuncta ad eum pertinientia collegisse videtur, indignans observat apud monachos Malmesburienses præstantissimi ex suis memoriam fere periisse.

(12) Apud nonnullos opinio invaliuit quod Malmesburiensis primum non ultra tertium librum opus hoc produxerit. Nullus editori occurrit manuscriptus codex qui tres istos libros tantum complectatur, illicque dubium videtur utrum tres primi libri a Malmesburiensi editi fuerint, priusquam integrum opus absolveretur. Contrarium tamen sentit Sharpius, sed nullam attulit suæ sententiae probationem. Quod Malmesburiensis in prologo ad quartum librum scribit, pro certo conclusioni a Sharpio deductæ suffragatur. « Scio, inquit Malmesburiensis, plerisque ineptum videri quod gestis nostri temporis regum scribendis stylum applicuerim, dicentibus quod in ejusmodi scriptis sæpe naufragatur veritas et suffragatur falsitas, quippe presentium mala pericula, bona plausibiliter dicuntur. Eo fit, inquit, ut, quia modo omnia magis ad pejus quam ad melius sint proclivia, scriptor obvia mala propter metum prætereat, et, bona si non sunt, propter plausum confingat. Sunt alii qui, nos ex segnitie sua metientes, impares tanto numeri existimant, et hoc studium prava suggillatione contaminant. Quapropter jam pridem, vel illorum ratiocinio vel istorum fastidio percussum in otium concesseram, silentio libenter adqui scens; sed dum aliquandiu solitus inertia vacassem, rursus solitus amor studiorum aurem vellit et manum injecit. Accessere amicorum meorum stimuli ut opus meum productius ducerem, ad quod efficiendum jam satis sum dispositus. » Aliud quoque occurrit quod pari modo sententia Sharpii suffragatur: D. Thomæ Phillips ad inanum adest duodecimi saeculi ms. (Ms. Phillips, n° 237), qui olim ad Cambay monasterium in Formannia pertinuit, in quo, inter alia, trium primorum librorum operis cui titulus: *Gesta regum Anglorum* compendium continetur; non dissimilem, ampliorem tamen, habuit etiam Hieronymus Commelinus (Heidelberg 1587), qui eum prelo subjecit, ignoto sibi auctore, velut Bedæ. *Historia ecclesiastica* continuationem. Ms. quo usus est Commelinus multa habebat quæ in D. Thomæ Phillips codice desunt; sed pro certo addititiam materiem in nullo eorum qui nunc extant ms. *Gestorum regum Anglorum* reperire est. Non dubitandum videtur quin Malmesburiensis quartum quintumque operis hujus librum ad precem Roberti Glocestriæ comitis conficerit, cui libri nuncupatoriam inscripsit; nec parum admirationis affert quod haec dedicatio in plerisque ms. ad calcem tertii libri occurrat, quæ ad totum opus refertur. Quod præfationes ad unumquemque librorum post absolutum opus scriptæ fuerint, constat; vocabula passim in his præfationibus legere est, quæ opinioni eorum vehementer suffragantur qui sentiunt tres primos libros, etsi evidenter ante alios scripti sunt, editos non fuisse tamen priusquam totum opus absolveretur.

animo habebat alias fusius revolvere, sed hoc illi non est concessum. Fauste tamen contigit ut totum opus reviserit quo præsens constat editio, nonnullisque magni momenti emendationibus et additamentis illustraverit.

A tempore Bedæ usque ad Malmesburiensis ætatem, scilicet quatuor saeculorum spatio, Anglorum historia brevibus tantum et jejunis annalibus constat, in quibus nulla documentorum historicorum ad rationis crisim deductio, nulla eventuum, quoad regiminis politici statum, ponderatio. Malmesburiensis, ut suos monet lectores, primus fuit post Bedam qui ad altiore quam meri annalistæ famam descendere niteretur, contnuamque Angliae historiam conscribere aggressus sit. « Res, inquit, Anglorum gestas, Beda, vir maxime doctus et minime superbus, ab adventu eorum in Britanniam usque ad suos dies piano et suavi sermone absolvit; post eum non facile, ut arbitror, reperies qui historiis illius gentis Latina oratione texendis animum dederit. Viderint alii si quid earum rerum jam invenerint, vel post haec inventuri sint; noster labor, licet in querendo sollicitas duxerit excubias, frustra ad hoc tempus consumpsit operam. Sunt sane quædam vetustatis indicia chrono more et patrio sermone per annos Domini ordinata. Per hæc senium oblivionis eluctari meruerunt quæcumque tempora post illum virum fluxerunt. Nam de Ætelwardo, illustri et magnifico viro, qui chronica illa Latine aggressus est digerere, præstat silere cuius mihi esset intentio animo, si non essent verba fastidio. Nec vero nostram effugit conscientiam domini Edmeri sobria sermonis festivitate elucubratum opus; in quo a rege Eadgaro orsus usque ad Willielum primum raptim tempora perstrinxit, et inde licentius evagatus usque ad obitum Anselmi (13) archiepiscopi, diffusam et necessariam historiam studiosius exhibuit. Ita prætermisssis a tempore Bedæ ducentis et viginti et tribus annis, quos iste nulla memoria dignatus est, absque litterarum patrocinio claudicat cursus temporum in medio: unde mihi tum propter patriæ charitatem, tum propter adhortantium auctoritatem, voluntati fui interruptam temporum seriem sarcire, et exarata barbarice Romano sale condire; et, ut res ordinatus procedat, aliqua ex his, quæ sæpe dicendus Beda dixit, deslorabo, pauca perstringens, pluribus valefaciens. »

Præcipui fontes ex quibus suam Malmesburiensis Historiam hausit in tres classes dividi queunt: Primo: Auctores et documenta quæ nunc adhuc exstant, quales sunt Gildas, Nennius, Beda, Saxonum Chronica et Leges, Asser, Æthelwardus, Eadmerus, Osbernus, Goscelinus, Hariulfus, aliquæ antiqui scriptores, originales chartæ, epistolæ, aliaque documenta (14).

Secundo: Documenta quæ ex nunc deperditis auctoritatibus profluent, qualia sunt metrica commenta, historicas traditiones, chartæ, epistolæ, biographicæque notitiae.

Tertio: propria rerum notitia quarum ipse testis fuerat, vel a testibus fide dignis didicerat.

Cum Malmesburiensi in animo esset fidelem et candidam ut daret eventuum narrationem, quidquid colligere potis erat sibi comparavit. Non semel tamen confitetur laborum studiorumque suorum exitum nullo modo intentioni respondisse. Sic enim ille: « Si quis vero hæc quoque captus amore leget, sciat me nihil de retroactis præter cohærentiam annorum pro vero pacisci, fides dictorum penes auctores erit. Quidquid vero de recentioribus ætatibus apposui, vel ipse vidi, vel a viris fide dignis audivi. Cæterum, in utramvis partem, præsentium non magnipendo judicium; habiturus, ut spero, apud posteros post decessum amoris et livoris, si non eloquentiæ titulum, saltem industriae testimonium. »

Quæa scriptoribus ipsa antiquioribus desumpsit, ea propriis adnotacionibus intermiscauit, ut a narratione vix separari queant. Quæcumque necessaria sibi visa sunt ad elucidationem morum usuumque populorum in diversis historiæ eorum periodis, sive quoad regni regimen et leges, sive quoad artes, summa cum ingenii laude statuuntur. Ubi vero materia non abundat, vel historica facta nullius sunt momenti, tum opus suum anecdoticis vivificat, (15) sæpe vividis coloribus individualis indolis proeminentia lineamenta describens, et miro artificio vel minima circa se degentium acta perstringens.

Eius Historia dramaticæ fabulae assimilita est, in qua rerum relatio integra offertur, remoto narrationis non interruptæ tædio. Opus suum amico patronoque suo Roberto, Gloucesteriæ comiti, spurio Illeuriæ primi regis filio, dedicavit. Robertus, juris militique peritus, singulari litterarum studio flagrabat; justitiae observantissimus fuisse traditur: si enim, animis omnium Mathildæ Stephanoque infensis, regnum affectavisset, certe via patebat, sed si lei et jurijurando stare satius habuit. Circa finem operis cui titulus: *Gesta regum Anglorum*, sic ipsum alloquitur Malmesburiensis: « Litteras ita fovetis, ut cum sitis tantarum occupationum mole districti, horas tamen aliquas vobis surripiatis, quibus aut ipsi legere, aut legentes possitis audire. Digno itaque moderamine fortunæ vestræ celsitudinem componitis, dum nec militiam propter litteras postponitis, nec litteras propter militiam, ut quidam, conspuitis; in quo etiam scientiæ vestræ patescit miraculum, quia, dum libros diligitis, datis indicium quam avidis medullis fontem eorum combiheritis; multæ siquidem res, etiam cum non habentur, desiderantur; philosophiam nullus amabit qui eam extrema satietae non hauserit. »

Rogat Malmesburiensis sibi vituperationi non vertendum quod narratio sæpe regionis suæ limites transgrediat. Eam ipse quasi multarum historiarum breviariu[m] designavit, etsi propter ampliorem, quæ ad Angliam spectat, documentorum copiam, *Gesta regum Anglorum* inscriperit.

Valde tamen dolendum est quod non uno in loco legendas historiæ interseruerit; commenti tamen ne insimuletur (16), quibus auctoritatibus mitatur studiose monet. Meminisse etiam quisque debet quod Malmesburiensis ævo miraculosæ narrationes in manibus omnium versarentur, religiosæque vulgi fidei intime connecterentur. Et rectissime notat Sharpius nemini in mente unquam venisse ut Livio aut aliis histo-

(13) Eadmerus, quo tempore Malmesburiensis sua *Gesta regum Anglorum* in lucem edidit, Historiam suam Anselmi Cantuariorum archiepiscopi obitu concluserat. Illam postea usque ad archiepiscopi Radulphi necem, anno 1122, prosecutus est.

(14) Inde non inferendum quod Malmesburiensis originales chartas vel epistolas semper verbatim inseruerit; illas solummodo coarcat, aliquando tamen integra documenta inseruntur.

(15) Loco quadam post varia allata, se diutius lectorum patientia non abusurum, promittit, quamvis, si nimio sibi non credit, anecdotorum varietas nemini tædio habenda, nisi morosus ita sit, ut Catonis supercilium æmuletur.

(16) Exempli gratia, ubi de Oswalди reliquiis loquens sic scribit: « Quo loci quia opinione fluctuo utrum ad hunc gen. serventur, precipitem affirmationem non emitto: si quid alii historiographi temere sunt professi, ipsi viderint; mihi fama vilius constet, ne quicquam nisi absoluta fide dignum pronuntiem.

riographis vitio vertatur prodigiorum, quorum in historiis mentionem faciunt, narratio. Ex quibusdam tamen passim allatis conjici posset Will-elmum miraculosum, quas ipse narrat, legendis fidem non usque-quaque adhibuisse; ubi enim *Ælfredi Magni* exitum narratione prosequitur, prodigiaque refert quæ traditione vulgabantur, scilicet, animam defuncti, resumpto corpore, noctibus per ecclesiæ cathedralis interiora oberrare, sic scribit: *Ellas sane nœnias sicut cæteras, ut credant nequam hominis cadaver post mortem dæmone agente discurrere, Angli pene innata credulitate tenent, a gentilibus nimis mutuantes, si- cut ait Virgilius:*

Morte obita, quales fama est voliture figuris (17).

Sub quodam tamen respectu hæc miraculosa commenta non aliqua utilitate carent; frequenter enim, in- ter tot inepta absurdaque, exquisitas pretiosasque continent notiones quibus mores et usos illustrantur; indeque in ætatem ad quam spectant magna lux affulget. Multa quoque horum commentorum ita a præ- cipua narratione sunt distincta, ut interpolata fuisse recte concludas. In quibusdam ex manuscriptis quos consuluitum, legendas commentitias inveniunt, quas melioris nota codices omittunt.

Quod vero Willelmus Malmesburiensis moderatus et a partium studio alienus scriptor extiterit, cunctis qui ejus lecturi sunt historiam manifeste patebit; scripsit ut sentiebat, bonos laudans malosque reprobans; dum virtutum exempla magna cum existimatione commendant; virtus, simul pungentibus meritis spiculis perstringit. Ubi de Willelmo I loquitur, hæc verba facit: « De Willelmo rege scripserunt, diversis incitatibus causis, et Normanni et Angli: illi ad nimias efferaunt sunt laudes, bona malaque juxta in cœlum prædicantes; isti pro gentilibus inimicitis, fœdis dominum suum proscidere conviciis. Ego autem, quia utriusque gentis sanguinem traho, dicendi tale temperamentum servabo: bene gesta, quantum cognoscere potui, sine furo palam effleram; perperam acta, quantum sufficiat scientiae, leviter et quasi transeunter attingam; ut nec mendax culpetur historia, nec illum nota inuram censoria, cuius cuncta pene, etsi non laudari, excusari certe possunt opera. Itaque de illo talia narrabo libenter et morose quæ sint inertibus incitamento, promptis exemplo, usui præsentibus, jucunditati sequentibus..... Mibi hæc placet provincia, ut mala, quantum quoque, sine veritatis dispendio extenuem; bona non nimis ventose collaudem. »

Malmesburiensem virum fuisse probatæ integratæ et eximiæ veracitatis ex ejus operibus manifestum est. Ubi de his quæ scribit anceps dubitat, etsi hæc temporis sui vulgari fama crederentur, caute progreditur, et eorum quæ narrat auctores quos sequitur sponsores adducit.

Ejus dicendi modus, præcipue in prioribus operibus, aliquando laborem redolet, exquisitis tamen et elegantibus periodis abundat. Opus ejus plerumque classico more scriptum profuit; et quamvis communiter dictio concisa, vehemens nervosaque, nonnunquam tamen verbosa obscuraque judicanda. Ejus opera perlegi nequeunt, quin ex frequentibus testimoniosis et felici sententiarum accommodatione, obvies patescat illum Romanorum auctorum scripta prætractavisse, suamque mentem eorum statu leporibusque imbuuisse. Se ex proposito suum dicendi modum (18) variare non semel declaravit, ne lectori uniformis stylis tenor tedium afferret, et a semel dictis retractandis summopere cavit.

Est tamen in quo non immerite reprehendatur auctor præstantissimus: sed volens lapsus est. Ne snum opus chronicorum formam indueret, in oppositum scopulum illidit, eventusque frequenter narrat temporis notam omittens, sive ut ita agens Romanos imitaretur scriptores, sive ut arduo supersederet labore cum tot tantæque adsint quoad notas chronologicas discrepantias in fontibus insis qui Malmesburiensi ad manum erant. Non non erat Saxonibus præfinitam cujusque eventus diem in suis annalibus exprimere. In quibusdam harum maximi pretii reliquarum, quæ Saxonum Chronica inscribuntur, codicibus, res gestæ exhibentur quasi in datis annis occurserint, dum econtra in aliis codicibus eadem res aliis annis ascribuntur; illis vero discrepantias mederi nunc facile; nam ex eo fluunt quod chronicorum auctores annum a diversis temporibus auspicentur. Petriburgi, et in cæteris monasteriis a rege *Æthelwardo* fundatis, a vicesima quinta Martii die; Wigorniæ vero et in monasteriis ab Oswaldo conditis, a vicesima quinta Decembris annum inchoabant; unde in variis Saxonum chronicorum codicibus, res quæ inter festum Nativitatis Domini et ejus incarnationis annuntiationem occurrunt, diversis annis ascribuntur. Asseri chronologia, in vita *Ælfredi Magni*, non semel mendosa est in statuendo regni *Ælfredi* initio. *Æthelwardus* in chronologia principum Saxonum ab annualistarum ejusdem gentis computatione valde diversus invenitur. Istiusmodi scriptores, posito, quasi sua historiæ fundamento, Saxonum chronicorum codice quem ad manum habebant, illi adhaeserunt, sufficienter recognoscendæ temporum veritatis copiam non habentes. Cuique monasterio, intra respectiva Heptarchie regna, procul dubio designatus inerat vir aliquis qui, anno designante, res ad memoriam insignes, quæ non tantum in regno ubi situm erat, contigerant, sed et alia quæ in vicinis regnis occurrisse nosset, scriptis mandaret; inde necessario sequebatur notarum chronicarum discrepantia, cum septentrionales a meridianis in anno inchoando variasse constet. Præterea in Saxonum chronicorum codicibus notatio temporum Romanis characteribus designatur contingereque facile potuit ut in exprimendis III, vel IV, vel aliis numeris, unus 1 insereretur aut omitteretur, quo errore sequentes series erant afficienda. Quod cum Malmesburiensem et coævos fuderat, vel ut rem levioris in nomine pa- rum curarent, multas Willelmus obvias discrepantias habuit quas debito modo reconciliare impar erat, et ideo narrationis modum elegisse putandus est, qui notis chronicis facile careret. Quocumque meritis chro- nographus haberi solebat, satis illi visum est ad scopum assequendum ut statueret aliquid alicubi evenisse, et inde quosdam effectus manasse; sed utrum id anno 800 aut anno 802 contigisset, id ille non ut rem gravis momenti curabat, ejus operis proposito tam minutam accurationem non requirente; quæ tamen temporum inobservantia quibusdam in locis, ubi rei gestæ annum expresserat, illuin in anachronismum deject, atque non semel in tantum impulit errorem, ut effectum causa anteponere. Ut ejusmodi defectui aliquid remedium afficeret, omissaque quoad notationem temporum supplerentur, visum est ut in præsen- tis editione accurata temporis indicatio in margine poneretur, quotiescumque apud auctorem erronea est vel omittitur. Quibus autem nisi fundamentis hoc perficiemus plerumque notis ad calcem paginæ positis patet.

Jam quidem diximus Hieronymum Commelinum, anno 1587, Heidelbergæ librum edidisse, cui titulus: *Res- rum Britannicarum, id est, Angliae, Scotiae, vicinarumque insularum ac regionum, scriptores retinacores. Pa- gina 281* hujus operis, sub titulo: *De gestis Anglorum libri tres, incerto auctore, continentur excerpta e tribus primis libris Malmesburiensis operis quod inscribitur: Gestu regum Anglorum;* sed evidenter patet ex notulis quibusdam, ut: *Vides:ur hic non pauca deesse; multa hic quoque requiri videntur; deinceps non-*

(17) *Aeneid.* x, 641.

(18) « Præterea non indecens aestimo si multicolori stylo varietur oratio. »

nulla, etc., sed præsertim ex verbis, *incerto auctore*, Commelinum prorsus ignorasse fontem ex quo me. compilator hausisset non alium esse quam Malmesburiense opus, *Gesta regum* (18*).

Post editum Commelini volumen, anno nono, Henricus Savilius præclarum syllogen cui titulus : *Scriptores post Bedam præcipui in lucem edidit, quæ continent Malmesburiensis Gesta regum Anglorum, Historiam novellam et Gesta pontificum*. In sui libri ad reginam Elizabeth nuncupatione Henricus Savilius justum hoc eneomium Malmesburiensi impertit : « Inter quos cum et narrationis fide, et judicij maturitate, principem locum teneat Guilielmus Malmesburiensis, homo, ut erant illa tempora, litterate doctus, qui septingentorum plus minus annorum res tanta fide et diligentia pertexuit ut e nostris prope solus historici munus explesse videatur » (19).

Manuscriptus codex juxta quem Savilius volumen prodiit, aut incuriose descriptus, aut incorrecte volumen editum est; gravissimus textus scatet mendis, quibus errororum index, ad calcem operis positus, inadæquatissime medetur. Ex variis in margine allatis notulis evidenter patet Savilius non unius tantum codicis manuscripti subsidio editionem suam constituisse. Præsentis libri editori nullus occurrit manuscriptus qui Savilius textui omnino congruat; regius ms. in Britannico Museo, 13. B. xix propior accedit, sed non omnino convenit. Nulla fretus auctoritate, Savilius opus suum in capitula dividit, a quorum tamen ordine melioris notæ codicis non recidunt. Editio vulgo dicta Londinensis cum rarius inveniretur, denuo prelo subjecta fuit, anno 1601, Francofurti, valde majori errorum numero quam editio Londinensis conspersa est; etsi Francofurtensis editor profiteatur se in textu correctiones inseruisse quæ in Londinensis errorum indice signantur.

Præsentis hujus editionis textus e manuscripto circa duodecimi saeculi finem exarato desumitur, qui antea ad Marganense pertinebat monasterium, a Roberto Glocestriæ comite fundatum, viro illo nobili cui opus suum Malmesburiensi dedicavit. Præstantem hunc codicem, qui nunc inter regios manuscripts in Britannico Museo (Bibl. Reg. 13. D. II) servatur, post maturum examen, et cum aliis manuscripts diligenter collationem, elegimus, tum quia reliquis emendatior, tum quia supremæ ab auctore operi suo adhibitæ collimationis vestigia exhibere visus est. Unus alter ms., qui regio manuscripto congruit, quamvis pluribus saeculis recentior, in D. Thomæ Phillipps, Bart., collectione servatur. Ex variis lectionibus, multisque magni momenti mutationibus ubique occurrentibus, constat non una vice opus ad incudem ab auctore revocatum, quatuorque ad minus operis inscripti *Gesta regum Anglorum* et duarum operis cui titulus *Historia novella* codicum distinctarum classium vestigia extare creditur. Nemo varias lectiones, in notis ad calcem cujusque paginae hujus editionis positis, allatas inspicere poterit, quin auctorem constantem in corrigendo amplificandoque opere suo curam impendisse concludat. Plurimæ harum mutationum perfecto in solis verbis constant, sed maxime ad dictioris elegantiam conferunt. Quibusdam in locis severiora vocabula temperantur molliunturque, integra sententiarum series adduntur, alioque iis quæ prius receperat substituuntur. Non inde tamen inferendum hanc omnem variarum lectionum farraginem Malmesburiensi ascribendam; perplurimæ enim amianuensium sunt.

Voluminis hujus textus valde ab editione Savilii discrepare videbitur, sed lectionum varietas in notis ad calcem cujusque paginae indicatur, sub designatione litteræ S. Prima fronte quibusdam forte in mente veniet nimis multas in diversis mss. ostensas fuisse variationes; sed satis est dicere quod illarum solummodo variationum ratio sit habita, quæ manuscriptum de quo agitur quasi ad particularem classem addirendum designant; at ubi lectionis varietas est oscitantæ illius qui ms. descriptis ascribenda, nec ulli particulari classi peculiaris est codex, tunc omisimus. Unam tamen regulam haec patitur exceptionem. Mss. codices quorum suhido textum nostrum constituimus, ad verbum fideliter expressimus; quod si vox quedam manifesto descriptoris errore videtur intrusa, veram lectionem ex aliis mss. mutuamur, errore notato auctoritateque indicata; sed præstans adeo est manuscriptus noster et ita accurate descriptus, ut rarissima sint ejusmodi correctionum specimina.

Ex diligentia variorum mss. collatione certo concluditur diversas esse manuscriptorum editiones vel classes, ad quarum classium aliquam quisque hujus auctoris manuscriptus referri potest.

Præcipui manuscripti, quorum facta est collatio, signantur in notis per litteras A. S. C. D. E. F. G. H. K. L. M.

- A. *Harleianus* manuscriptus n° 261; *Cottonianus* manuscriptus, *Claudius C. ix*; *ambo* in Britannico Museo; et *D. Thomæ Phillipps* manuscriptus n° 2777.
- S. *Savilius* textus, *Londini simul et Francofurti* editiones.
- C. *Regius* manuscriptus 13. B. xix; *Harleianus* manuscriptus n° 447; *ambo* in Britannico Museo.
- D. *Regius* manuscriptus 13. D. V; *regius* manuscriptus 13. B. xvii; *ambo* in Britannico Museo.
- E. *Regius* manuscriptus 13. D. ii, in Britannico Museo; sir *Thomæ Phillipps* manuscriptus n° 8239.
- F. Manuscriptus in bibliotheca collegii *Omnium Animarum* (Ai. Souls), *Oxonii*, ejusdem probabiliter classis ac E.
- G. *Bodleianus* manuscriptus, *Laudi 548*, *Oxonii*, ejusdem, ut appareat, classis ac L.
- H. *Bodleianus* manuscriptus, *Hatton 54* ut verisimile est, ejusdem classis ac A.
- K. *Bodleianus* manuscriptus, *Bodley 712*, classis C. congruens.
- I. *Arundel.* manuscriptus n° 35, in Britannico Museo; et *manuscriptus* collegii *Trinitatis, Cantuarie*.
- R. 14.
- M. *Arundel.* manuscriptus, n° 161, *verbally transcriptus ex regio manuscripto 13. D. V.*

Alios codices excussumus qui Oxonii, Cantuarie, in Britannico Museo, et in bibliotheca D. Thomæ Phil-

(18*) Tria tamen ultima capita Commelini voluminis in nullo Malmesburiensis nunc existenti codice reperiuntur est; itaque satis probabile videtur quod ms. compilator, ex quo Commelinus librum suum compo- gavit, aliam materiam in opus suum introducerat, ex alio fonte haustam. Exceptis tribus his capitibus, *Thomæ Phillipps* M. S., N° 237, cum illo ex quo Commelinus librum suum composuit plane congruit.

(19) Malmesburiensis librum ex Latino in Anglicum sermonem transtulit D. Simonds d'Ewes; sed nunquam sui laboris fructum in lucem protulit; at R. Joannes Sharpius anno 1815 hujus auctoris translationem edidit. Sharpii annotationes semper eruditione sunt referentes. Quantum editor periti hujus interpretationis scientia perusus fuerit, ex notis ad calcem cujusque paginae inscriptis patescat.

lipps servantur; cum vero ex aliquo inter exemplaria superius memorata transumpti videantur, necesse non visum est illos prioribus annumerare.

Sunt forte quibus praesens editio nimio notarum onere pressa videbitur; sed in memoriam revocandum est, quod peculiaris Malmesburiensis Historia scopus, in multis locis, quoddam commentarium vel annotationem ad textum necessario requirit; fereque nihil actum est quod non aut auctoris sententiam elucidet, aut lectorum a gravi labore eximat, opera requirendi que non semper ad manum sunt. Semper et quaque, ut sentimus, que afferuntur iis stant argumentis que vel e contemporaneis fontibus, vel e magis accessibili auctoritate deflunt.

Prævias has annotationes claudere nequit Editor, quin debitas grates referat amicis, quorum ope dum hoc opus prelo subjiciebatur adjutus est; sed præsertim sir Harris Nicolas, G. C. M. G., et Joanni Holmes, esq. Britannici Musci. Thomæ Philipps, Bart. non Editoris tantum grates speciali modo sunt debita, sed et Angliae Historicæ Societatis, eo quod plures maximi pretii Malmesburienses mss. benignissime Editori, collationis causa, commodaverit. Nec etiam aequus esset Editor erga Sancucleri Bentley, si publice non agnosceret quantum huic operi inservierent peritia et assiduitas que in typographica ejus officina videntur; ii soli, quibus ejusmodi operis prelo subjiciendi onus incubuit, adæquate existimare queunt quantum utilitatis typographi vigilante et sagacitatem debere possit editor.

His observationibus finem imponere nequit editor, tacito fratri sui, Willelmi Hardy, nomine, a quo constantem pretiosamque in conferendis manuscriptis, mendisque corrigendis open recepit. Quod si tantum auxilium manui alienæ referret acceptum, hic pro certo tam inadæquatam agnitionem satis non habuisse.

Record Office, Tower, Maii 22, 1841.

(20) **EPISTOLA AUCTORIS,**
ROBERTO CONSULI GLÆCESTRENSI,
HENRICI REGIS FILIO,

DICATA

Domino venerabili et famoso comiti (21) ROBERTO, filio regis, WILLELMUS Malmesburiæ monachus salutes, et, si quas valet, orationes.

Virtus clarorum virorum illud vel maxime laudandum in se commendat, quod etiam longe positionum animos ad se diligendum invitat; unde inferiores superiorum virtutes faciunt suas, dum earum adorant vestigia, ad quarum aspirare non valent exempla. Porro totum ad majorum redundat gloriam, quod ipsi et bonum faciunt, et minores ad se amandum accidunt. Vestrum est igitur, o duces, si quid boni faciunt; vestrum profecto si quid dignum memoria scribimus; vestra industria nobis est incitamento ut, quia pericula vestra paci nostre impenditis, vos vicissim per labores nostros omnino inclarescatis. Hinc est quod Gestæ regum Anglorum, quæ nuper edidi, vobis potissimum (22) consecranda credidi, domine Comes, venerabilis et merito amabilis. Nullum enim magis decet bonarum artium fautorem esse quam te, cui alhæsit magnanimitas avi, munificentia patrui, prudentia patris; quos cum æmulus industria lineamentis representes, illud peculiare gloriæ tuae facis quod

(20) *Epistola.* In mss. e. a. haec dedicatio in fine libri iii occurrit; in codd. a. k. in principio operis legitur; in aliis vero (a. g. h. l.) deest.

(21) *Roberto filio regis.* Robertus Glæcestriæ comes, spujius Henrici I regis filius. Maldam, alias Mabellam, uxorem duxit, nata majorem Roberti

A litteris insistis. Quid quod etiam notitia tua dignis litteratos, quos vel invidia famæ vel temeritas fortunæ fecit obscuros. Quia enim natura indulget sibi, quod quis probat in se ipso non improbat in altero, consentaneos igitur sibi mores experientur in te litterati, quos citra intellectum ullius acrimonie benignus aspicis, jocundus admittis (23), invitatus dimittis. Nihil plane in te mutavit fortunæ amplitudo, nisi ut pene tantum benefacere posset quantum velles. Suscipe ergo, virorum clarissime, opus, in quo te quasi ex speculo video; dum intelliget tuæ serenitatis assensus ante te summorum procerum imitatum facta quam audires nomina. Continentiam autem (24) operis prologus primi libri exponit; quem si placuerit legere, materiam B totam poteris de compendio colligere. Illud a vestra dignitate impetratum velim, ut non mibi veratur vitio quod sæpe per excessum alias quam in (25) Anglia peregrinatur narratio; volo enim hoc opus esse multarum historiarum breviarium, quavis a majori parte vocaverim Gestæ regum Anglorum:

Fitz-Hamon cohæredem, quæ in suo hæreditario junctio Glæcestriæ decus obtinuit.

(22) *Consecranda.* d. e.; *consectanda*, c.

(23) *In ritus.* d. e.; *munificus*, s.; *manus*, c.

(24) *Operis.* d. e.; *hujus operis*, s. c.

(25) *Anglia.* d. e.; *gente nostra*, s. c.